

20290

CONSPECTUS OCULI MORBORUM

INDE AB ANNO 1850 AD ANNUM 1859 IN NOSOCOMIO
CHIRURGICO DORPATENSI OBSERVATORUM
OPERATIONUMQUE IN OCULIS IBI INSTITUTARUM.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA DORPATENSI

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINÆ

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET.

AUCTOR

Guilielmus Ignatius,


Estonus.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

MDCCCLIX.



Imprimatur
haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros explorandos constituto.

Dorpati Liv., die 30. m. Maji a. 1859.

(L. S.)

Dr. **Buckheim**,
ord. med. h. t. Decanus.

PROOEMIUM.

121/23
Priusquam lectores benevoli ad perlegendam ipsam commentationem meam progrediantur, non possum, quin opinionem, quam forte conceperint, iis eripiam, contentum opusculo meo, velut completum aliquod et absolutum me illud in lucem edidisse. Immo vero, ut, concesso mihi exiguo tantum temporis spatio, postulatis satisfacerem, adductus sum, ut hanc meam commentationem in medium proferrem, quamvis pauca quaedam in ea emendationis ulterioris egerent, quae propter temporis penuriam mutari non poterant. Nesciens ac parum peritus operae et molestiarum, quae in exquirendis et componendis morbis erant impugnandae, breve temporis spatium, quod datum mihi erat, vix suppetere cognovi, ut consilium, quod initio ceperam, omni ex parte consequerer; nam omissa uberiore hujus rei explanatione, hoc tantum mihi contigit, ut stipulas quasdam ad conscribendam aliam commentationem conferrem. Quae et

ipsa, quum venia aliqua et indulgentia egeant, speraverim fore, ut lectores, si res, quas supra dixi, respiciant, tironi in elaborandis ejusmodi argumentis parum versato veniam tribuant.

In principio dissertationis meae licitum mihi sit, ut grata et memori mente ductus, praeceptoribus dilectissimis et maxime venerandis, imprimis vero D^{ri} Adelmann, professori doctissimo illustrissimo, quippe qui omni tempore in elaborando hoc themate animo promptissimo me adjuverit atque in rebus dubiis consilio ac re mihi adfuerit, gratias, quas possum maximas, persolvam.

PARS PRIOR.

Commentatio mea, uti ex verbis ei inscriptis intellegi potest, id potissimum spectat, ut oculorum morbi, qui in clinico universitatis nostrae ad diagnosin et tractationem propositi sunt, nec non operationes inde ab anno 1850 ad annum 1859 peractae ratione statistica enumerentur et componantur, ergo dissertatio inauguralis a D^{re} Barth¹⁾, Dorpati edita atque explicationes longe uberiores amplioresque ab Adelmann²⁾, professore chirurgiae experientissimo, communicatae conspectu a me prodito continuentur. Frequentiam vero aliquot morborum prioris temporis, si eam cum morborum numero praesenti comparemus, longe diversam apparere, ut statui nequeat, morbos alios anno aliquo rarius, alios tanto crebrius observatos esse, hinc potissimum explicari potest, quod, progrediente ophthalmologia, iidem morbi novissimo tempore, prout diversae exstiterunt medicorum sententiae, diversis quoque nominibus significantur: quae res singulis his novem annis, quorum mentio fit, satis conspicitur. Ceterum hac de re loco idoneo accuratius agetur. Hic tantum, ne ab ullo forte perperam intelligar, admonuerim, inflammationum tum membranae conjunctivae palpebrarum, tum conjunctivae bulbi, tum simul utriusque

1) Gustavus Barth: Conspectus morborum oculorum ab anno 1845—1850. Dissertatio inaug. Dorpati Livonorum MDCCCLIV.

2) Dr. G. F. B. Adelmann: Aus dem chirurgischen Klinikum der Kaiserlichen Universität zu Dorpat. Erlangen 1845.

plurimas eidem speciei adnumeratas esse, quum a conatu easdem singulas, secundum diagnoses in libris clinicis significatas, in ordinem certum redigendi propter nimiam conjunctivitudinum seriem desistere cogerer. Plurimae ibi inveniuntur inflammationes membranae conjunctivae inter se differentes, pro earum sede, indole, decursu etc.: quae inflammationes, si singulas enumerassem, operam difficillimam reddidissent atque, turbato conspectu, accuratam explicandi rationem minime adjuvissent. In perlustrandis libris clinicis, quibus receptio hominum oculorum morbis aegrotantium traditur, in magnam hujusmodi morborum copiam incidimus, qui simplici conjunctivitis nomine significati sunt: quo nomine nec sedes nec decursus neque aliud quidquam afferitur. Aliis in casibus solus decursus, in aliis modo sedes, in aliis sedes, decursus, alia traduntur, unde, si rationem supra dictam iniissem, infinita et promiscua nominum copia mihi oblata esset, quae nomina omnia morbum ejusdem indolis, levi tantum discrimine, significare solent. Omissa hac licentia, qua usus sum, quam plurimam in eo curam posui, ut morbi, prout eorum diagnoses in libris clinicis perscriptae sunt, singulatim omnes in ordinem certum redigerentur, nec nisi morbi eodem nomine significati inter se componerentur. Hic nimirum quaedam ejus rei factae sunt exceptiones, uti e. g. omnia panni genera inter se componuntur, quamquam quibusdam de causis inter se separari possunt. Sed his etiam in casibus rationem a me initam aequè defendi posse arbitror.

Imprimis digni sunt, qui respiciantur, morbi anno 1856 observati, quos Oettingen¹⁾, professor chirurgiae illustris-

1) Dr. G. v. Oettingen: Mittheilungen aus der chirurgischen Abtheilung der Universitätsklinik zu Dorpat, betreffend das Jahr 1856. Dorpat 1857.

simus in libro de ea re edito uberius ac subtilius tractavit, quam equidem facere poteram. Hujus libri mentio injicitur, partim ut lectores doceantur, ubi omnia, quae ad morbos illius anni pertineant, uberius rectiusque tradita inveniant, quum auctor clarissimus, omisso libro clinico, ex ipsius adspectu, interjecto etiam longiore tempore, verius aptiusque de morbis judicare eosque describere potuerit, partim ut relationes, in rebus nonnullis etsi non gravissimis inter se diversae, satius explicentur. Quae earum discrepantia inde petenda videtur, quod in conscribenda hac commentatione soli receptionis libri clinici fundamento mihi fuerunt, quoniam niterer. Quod quidem fieri oportuit, quoniam in libro ab Oettingen edito, id quod dolemus, momenta quaedam tradita non sunt, quae in conspectu statistico haud sane abesse debent. Numeri in eodem libro traditi cum iis, quas ego protuli, jam eam ob rem non possunt congruere, quod e. g. in eodem libro sequelae trachomatis significatae non sunt, in nostra autem commentatione, sicut in conspectu statistico, altero ab Adelmann altero a Barth edito, separatim exponuntur.

Certa morborum enumeratio ac descriptio semper fuit difficillima, qua in re vix cuiquam satisfieri potest. Ut aliis visum est, ita et mihi ipsi anatomia causam intulit morbos ex sede sua ordinatim componendi.

Priusquam ad enumerandos ipsos morbos aggrediamur, necesse est admoneatur, homines quosque semel tantum notatos esse, itemque morbos, qui eodem simul tempore utrumque oculum corripuerant, praecipue vero de singulis quibusque affectionibus in eodem homine obviis certam mentionem fuisse. Hinc per se intelligitur, numerum aegrotantium cum morborum numero congruere non posse.

De numero et genere hominum ex oculis laborantium.

Ut statuatur, utrum oculorum affectiones progressu temporis plures an pauciores evaserint, numeri morborum, qui antea exorti sunt, cum eorum numeris, qui nunc existunt, necesse est conferantur. Qua ex re rationem hominum ex oculis laborantium, qualis sit ad numerum omnium aegrotorum, qui diagnosin et tractationem subierunt, traditam invenimus:

usque ad exitum anni 1844 sicut 1 : 2 ^{366/697} 1)			
"	"	1849	" 1 : 2 ^{1101/1242} .
Anno 1850	inter hom.	1110	ex ocul. labor. 381 ratio 1 : 2 ^{348/381}
" 1851	"	753	" " " 288 " 1 : 2 ^{177/288}
" 1852	"	1156	" " " 463 " 1 : 2 ^{230/462}
" 1853	"	1003	" " " 343 " 1 : 2 ^{317/343}
" 1854	"	920	" " " 354 " 1 : 2 ^{56/177}
" 1855	"	883	" " " 342 " 1 : 2 ^{199/342}
" 1856	"	960	" " " 409 " 1 : 2 ^{149/409}
" 1857	"	789	" " " 349 " 1 : 2 ^{91/349}
" 1858	"	923	" " " 515 " 1 : 1 ^{408/515}
Summa 8497		Summa 3444	

Sicut exspectari licet, numerum hominum ex oculis laborantium, si ad numerum hominum aliis morbis affectorum comparaveris, modo parum variare posse, ita et hoc in conspectu rationem modo adauctam, modo deminutam videmus, et quidem prope 5½ %, id quod ex iis, quae sequuntur, perspicui potest.

Usque ad exit. anni	1844	inter aegrot.	12264	ex oculis labor.	4740—38,7%
" " " "	1849	" " "	3639	" " "	1269—34,8%
" " " "	1858	" " "	8497	" " "	3444—40,5%

1) Adnot. Numeri hoc loco traditi ex dissertatione inaugurali a Barth edita exempti sunt.

His supra dictis, postquam conspectum numeri universi hominum ex oculis laborantium proposuimus, ex tabula, quae sequitur, eluceat, qualis fuerit ratio sexus virilis ad sexum muliebrem.

Anno 1850	inter	381	aegrot.	fuerunt	sex. vir.	126	sex. mulieb.	255
" 1851	"	288	"	"	"	107	"	181
" 1852	"	463	"	"	"	167	"	296
" 1853	"	343	"	"	"	144	"	199
" 1854	"	354	"	"	"	137	"	217
" 1855	"	342	"	"	"	120	"	222
" 1856	"	409	"	"	"	121	"	288
" 1857	"	349	"	"	"	130	"	219
" 1858	"	515	"	"	"	167	"	348

In univ. fuer. int. 3444 aegrotos sex. vir. 1219 sex. mul. 2225

Ex tabula supra proposita perspicui potest, numerum hominum ex oculis laborantium sexus muliebris numero eorum, qui sexus erant virilis, paene duplo majorem fuisse. Quae res ut aliqua ex parte illustretur, notandum mihi est, feminas saepius fere in urbem accedere, quam mares suo munere et opere adstrictos. Neque minus vivendi ratio, quam feminae subeunt, causam fortasse intulit, unde re vera oculorum morbi crebrius oriantur. Dum enim mares plerumque sub divo operibus intenti versantur, feminae fere omnes, praesertim tempore hiberno, in domiciliis humilibus, obscuris, haud raro ex solo non tabulato humidis, sub aëre fumo et nimia hominum frequentia corrupto commorantur: quae omnia haud exiguum ad visus organa vim exercent.

Morbi per postremos novem annos observati.

I. Affectiones organorum oculum tuentium et lacrimalium.

1. Cancer palpebrarum	7
2. Atheroma palpebrarum	1

3.	Ectropium	7
4.	Coloboma	1
5.	Sugillationes palpebrarum	1
6.	Oedema palpebrarum	2
7.	Anchylops et Aegylops	10
8.	Blepharoadenitis	38
9.	Hordeolum	9
10.	Chalazion	3
11.	Peribrosis et Tylosis	20
12.	Canthitis	2
13.	Epicanthus et Blepharophimosis	29
14.	Encanthis	3
15.	Anchyloblepharon	1
16.	Symblepharon	10
17.	Hypertrophia polyposa conjunctivae palpebrarum	1
18.	Conjunctivitis: a) simplex	467
	b) traumatica	14
	c) catarrhalis	287
	d) scrophulosa	93
	e) rheumatica	78
	f) arthritica	3
	g) urethroblennorrhoeica	1
	h) neonatorum	8
19.	Blennorrhoea acuta	42
20.	Blennorrhoea chronica	398
21.	Trachoma	770
22.	Trichiasis	89
23.	Distichiasis	228
24.	Entropium	219
25.	Exostosis orbitae	2
26.	Fungus orbitae	1
27.	Dacryoadenitis	2
28.	Epiphora	1
29.	Dacryocystitis	4
30.	Blennorrhoea sacci lacrymalis	3

31.	Fistula lacrymalis	5
32.	Xerosis	19

II. Affectiones bulbi oculi.

33.	Keratitis: a) simplex	51
	b) traumatica	6
	c) superficialis	1
	d) parenchymatosa	8
	e) punctata	1
	f) pustulosa	13
	g) ulcerosa	7
34.	Apoplexia conjunctivae bulbi	1
35.	Nubecula corneae	24
36.	Macula corneae	8
37.	Leucoma	220
38.	Pannus	700
39.	Abscessus et ulcus corneae	165
40.	Perforatio corneae	7
41.	Keratocele	7
42.	Staphyloma corneae	131
43.	Atrophia corneae	10
44.	Vulnus corneae	4
45.	Corpus alienum in cornea	1
46.	Sclerotitis	8
47.	Pterygium	12
48.	Pinguecula	2
49.	Staphyloma scleroticae	5
50.	Hypopium	10
51.	Hydrophthalmus	3
52.	Corpus alienum in camera anteriori	1
53.	Kyklitis	2
54.	Iritis	34
55.	Synechia	34
56.	Synicesis pupillae	16
57.	Prolapsus iridis	18

58.	Mydriasis	1
59.	Myosis	1
60.	Iridochorioiditis	1
61.	Chorioiditis	11
62.	Staphyloma cujus	2
63.	Cataracta	106
64.	Luxatio lentis	2
65.	Glaucoma	16
66.	Panophthalmitis	2
67.	Fungus oculi	2
68.	Atrophia bulbi	66
69.	Exophthalmus	3
	" cum fungo orbitae	1

III. Affectiones apparatus oculorum nervosi.

70.	Blepharoptosis	4
71.	Blepharospasmus	2
72.	Hyperaesthesia ciliaris	2
73.	Paralysis nervi oculomotorii	3
74.	Amblyopia cum paralysi omnium musculorum oculi	1
75.	Amblyopia	55
76.	Amaurosis	30
77.	Myopia	1
78.	Presbyopia	1
79.	Photophobia	2

IV. Affectiones musculorum bulbi oculi.

80.	Strabismus	8
81.	Nystagmus	1

4713

Quamquam non amplices 3444 homines ex oculis laborantes in libris clinicis sunt notati, aliquanto tamen major morborum numerus invenitur: quae res haud dubie sequelis trachomatis inde nascentibus attribui potest. Quodsi nune

ros maximos ex morborum indice requirimus, in ipsis affectionibus ex trachomate ortis eosdem reperimus, uti in panno, in situ abnormi palpebrarum ciliorumque etc.

Frequentes oculorum morbi diversis vitae aetatibus obvi.

Ne forte, quum diversas vitae aetates initio ad typum septennem, deinde decennem redigerem, a multis arguar, me parum consequenter egisse, haec afferam, quibus illa res explicetur ac defendatur. Si morbi quovis vitae anno obvi enumerarentur, aliquanto inde difficilius opus redderetur, nullo tamen oblato emolumento, quod alicujus momenti esset. Nam altera ex parte minus refert, ut sciamus, quonam forte anno maxima sit aegrotantium frequentia, quam potius quonam gradu corporis progressi illa existat, ex altera inter agrestos nostros nimis saepe accidit, ut suam ipsorum aetatem ignorent: unde his in casibus vix quidquam certius, sed tantum ad veritatem propius referri potest. Initio typus septennis statuitur, quia in idem tempus gradus vitae progredientis incidunt, uti dentitio, aetas pubertatis etc., quum hac ipsa periodo aetas aegroti semper fere certo definiri possit. Posterioribus autem vitae periodis, quibus corpus ad summam jam perfectionem processerit, mutationesque modo paullatim inter se transeant, jam ex simplicitate idoneum est, aetates hominum ad typum decennem referre. Quae res praeterea magis etiam adjuvatur et defenditur computandi ratione agrestium, qui in causis dubiis ex certis quibusdam vitae momentis, ex confirmatione, conubio, aliis de aetate judicant, vel posteriore vitae tempore tantummodo statuere possunt, num certa quaedam decennia attigerint an egressi jam fuerint.

Qua proposita describendi ratione, haec efficitur tabula, qua ratio aetatis hominum ex oculis laborantium statui possit. Qua in tabula traditi non sunt homines, sed morbi, iisque ex frequentia quavis aetatis periodo obvia atque ex sexu.

	mares	fem.	summa	ratio ad partes	cent. rel.
usque ad an.	7	122	148	270	45,18 % 54,81 %
ab an. 8 usq. ad an 14	119	219	338	35,20 %	64,81 %
„ 15 „ „ 21	219	657	876	25 %	75 %
„ 22 „ „ 30	437	850	1287	33,95 %	66,04 %
„ 31 „ „ 40	363	593	956	37,97 %	37,02 %
„ 41 „ „ 50	216	344	560	38,57 %	61,42 %
„ 51 „ „ 60	124	155	279	44,44 %	55,55 %
„ 61 „ „ 70	47	77	124	37,90 %	62,09 %
„ 71 „ „ 80	11	9	20	55 %	45 %
„ 81 „ „ 90	2	0	2		
„ „ 92	0	1	1		

Summa 1660 3053 4713

Ab extremis vitae periodis modo significatis, si rationem ad partes centesimas relatum respicimus, sane discedatur necesse est, quum homines hujusce aetatis nimirum jam inter rarissimos habendi sint, uti re vera etiam ex 3444 hominibus modo tres aetatem octoginta annorum excedere videmus. Ceterum ex tabula patet, una tantum vitae periodo mares aegrotantes numero longe superare feminas morbo laborantes: cujus rei causa haud dubie inde petenda est, quod mares saepius quam feminae aetatem 70—80 annorum attingunt. Si igitur singulas aetatis periodos, habita ratione frequentiae oculi morborum, qui tum exorti sunt, inter se composuerimus, haec nobis objicietur series:

I inde ab anno	21 usque ad annum	30
II „ „	31 „ „	40
III „ „	15 „ „	21
IV „ „	41 „ „	50

V inde ab anno	8 usque ad annum	14
VI „ „	51 „ „	60
VII inde a partu	„ „	7
VIII inde ab anno	61 „ „	70
IX „ „	71 „ „	80
X „ „	81 „ „	90
XI „ „	91 et ultra.	

Praeterea ex eadem tabula, si oculorum morbos in feminis obvios morbis illis, quibus homines sexus virilis diversis vitae periodis corripiuntur, longe crebriores esse respicimus, hic efficitur conspectus: quo proposito diversos aetatis gradus numeris latinis deinceps significavimus, nihil habita ratione utriusque gradus postremi:

III . . .	75 %
IV . . .	66,04 %
II . . .	64,79 %
VIII . . .	62,09 %
VI . . .	61,42 %
VII . . .	55,55 %
I . . .	54,81 %
IX . . .	45 %

Qua ex tabula intelligitur, usque ad aetatem dentitionis frequentiam in utroque sexu satis parem esse, si quis computaverit, feminarum multitudinem nostris regionibus multitudine virili semper fere crebriorem apparere. Usque ad pubertatis periodum numerus accrescit, exorta pubertate culmen summum 75 % attingit, deinde rursus minuitur. Itaque, omissis aliis momentis, quae ex cultu victuque, ex operibus consuetis, ex aliis proficiscuntur, fieri etiam potest, ut pubertatis evolutio proclivitatem ad oculorum morbos simul adaugeat.

Conspectus quorundam morborum.

Postquam oculorum morbos in universum respeximus, haud parum nostra interest, his praesertim regionibus, ut morbos aliquot saepissime hic observatos, qui in patria nostra tum per se ipsos, tum exortis inde sequelis plurimum sane calamitatis inter inferioris maxime populi classes provocant, accuratius intueamur. Quae res imprimis referenda est ad diversas membranae conjunctivae affectiones, quae omnium oculi morborum, qui hac in commentatione enumerati sunt, haud exiguum partem constituunt, adjunctis praesertim et ipsis sequelis.

Quum auctores de multorum morborum indole, nec minus de speciebus diversis conjunctivitis atque blennorrhoearum maxime inter se dissentiant, vix aliter sperari potuit fore, quam ut varia nomina morbis imposita causam iis intulerint, ut perperam alter alterius sententiam intelligerent. Novissimo demum tempore, quum ophthalmologia magnopere progressa sit, plus perspicuitatis ac subtilitatis coeptum est his rebus afferre, auctore potissimum Arlt, viro clarissimo, quem ad illustrandam illam doctrinam haud parum contulisse novimus. Cui viro, si trachoma respicimus, magnam imprimis gratiam debemus, quum idem morbus, id quod jure dixerim, regionibus nostris omnium oculi morborum infestissimus sane atque teterrimus appareat. Postremis demum annis nomen trachomatis, quod prius paene evanuit, denuo inductum est, quum ad id tempus morbus, dissentientibus inter se auctoribus, modo huic modo illi generi membranae conjunctivae affectionum adnumeraretur, prout symptoma alterum altero magis conspiciebatur. Documento satis idoneo, unde haec res explicetur, tabula, quae sequitur, nobis erit unde conspectus magnifester praebeatur.

Conjunctivitis simplex.

Uti jam supra ejus rei mentio facta est, hoc ipso nomine omnes inflammationes membranae conjunctivae tum palpebrarum, tum bulbi, tum utriusque simul organi, si non aliter nisi ex decursu accuratius significatae erant, complexi sumus.

Anno 1850	notati sunt	47	mares	67	feminae.	Summa	114
" 1851	"	23	"	41	"	"	64
" 1852	"	24	"	40	"	"	64
" 1853	"	22	"	34	"	"	56
" 1854	"	16	"	18	"	"	34
" 1855	"	9	"	12	"	"	21
" 1856	"	14	"	17	"	"	31
" 1857	"	22	"	31	"	"	53
" 1858	"	12	"	18	"	"	30
		189		278		467	

Ex hac quoque tabula numerus feminarum aegrotantium multo major cernitur, quam numerus hominum sexus virilis. Praeterea numeri annis postremis traditi aliquanto minores obijciuntur, quam numeri priorum annorum: quae res hinc petenda videtur, quod novissimo tempore multi ex oculis aegrotantes, qui antea huc relati sunt, hominibus ex trachomate laborantibus adjunguntur. Haec conjunctivae affectio, si ejus frequentiam spectamus, ad 9,93% omnium oculi morborum referri potest.

Conjunctivitis catarrhalis.

Quum hoc in morbo, sicut in omnibus omnino affectionibus catarrhalibus membranarum mucosarum, praecipue anni tempora respicienda sint, quoniam alterum anni tempus magis, alterum minus ad provocandos ejusmodi morbos ansam

praebeat, hic certe quaerendum erit, qualis fuerit singulis mensibus casuum frequentia. Si Januarius, Junius, Julium Decembrem menses respicimus, minor morborum frequentia inde explicari potest, quod feriarum tempore publicae in nostro clinico functiones intercludi solent. Sexus et aetatis hoc in morbo nulla habita est ratio, quum nimirum affectionibus catarrhalibus omnis aetas omnisque sexus obnoxia sint: unde, si ea respiceremus, conspectus sane perturbaretur.

Annus.	Jan.	Fbr.	Mart.	Apr.	Maj.	Jun.	Jul.	Aug.	Spt.	Oct.	Nov.	Dec.	Summa.
1850	5		1					1	3	1	2		13
1851	1	3		2	2				2	1	1		12
1852	1				15	3		21	16	9	10		75
1853	2	2	2	1	3			1	6	1	2		20
1854	3	5	8	4	1			1	4	6	3	1	36
1855	1	4	2	2	5			2	7	3	9		35
1856		2	4	4				1	2	5	2	1	21
1857		5	6	3	8			1	7	2	4		36
1858			3	3	4			6	8	10	5		39
	13	21	26	19	38	3	0	34	55	38	38	2	287

Ex hac quidem tabula, nec non ex relationibus statisticis prioris temporis satis perspicitur, inflammationem membranae conjunctivae catarrhalem veré et auctumno, praesertim mense Septembri frequentissime occurrere, neque minus omnino haec anni tempora eliciendis membranae conjunctivae catarrhis quam maxime inservire.

Conjunctivitis scrophulosa.

Uti ex iis, quae hoc de morbo tradita sunt, intelligi potest, conjunctivitis scrophulosa aetatem juvenilem attingit: quam ob rem diversos aetatis gradus respiciemus, ut postea illius morbi praesertim cum affectione rheumatica comparatio fieri possit.

usp.	ad ann. 7	8—14 an.	15—21 an.	22—30 an.	31—40 an.	41—50 an.
Annus	m. f.	m. f.	m. f.	m. f.	m. f.	m. f.
1850	3 3	1 5		1		1
1851	5 2	2 2	1 4			
1852	7 7	2 5	1	1	1	1
1853	2 1	1	2 1			
1854	3 2		2 1 1			
1855	1 2	1	1	1 1		
1856	4 2		1			
1857	1 3		2	1		
1858			1			
	26 22	7 18	5 8	1 3	1 1	1

Hac proposita tabula, si diversas vitae periodos numeris latinis significamus, hic nobis conspectus obijcitur:

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
48	25	13	4	1	2.

Quo ex conspectu satis patet, morbum illum, quod ad ejus frequentiam attinet, prima vitae periodo ad summum fastigii acedere, deinde vero semper fere decrescere. Quamquam sunt, qui scrophulosam oculorum inflammationem post quadragesimum aetatis annum jam obviam non esse dicant, hic tamen duo ejusmodi casus et tertius insuper anno tricesimo et quadragesimo interjectus traduntur. Frequentia hominum prima vitae periodo aegrotantium 51,82 % omnium ex conjunctivitis scrophulosa laborantium conficit, numerus autem eorum, qui secunda periodo afficiuntur, ad 26,88 % referendus est.

Habita anni temporis ratione, quo casus illi observationi offeruntur, haec tabula conspectum satis idoneum praebet:

Mense Januario	oblatis	sunt	casus	10
„	Februario	„	„	12
„	Martio	„	„	14

Mense Aprili	oblato	sunt	casus	7
„ Majo	„	„	„	20
„ Junio	„	„	„	4
„ Julio	„	„	„	0
„ Augusto	„	„	„	5
„ Septembri	„	„	„	4
„ Octobri	„	„	„	5
„ Novembri	„	„	„	11
„ Decembri	„	„	„	1

Saëpissime mense Majo et mensibus omnino vernis, rarius tempore auctumnali affectio illa animadvertitur. His cum relationibus casus, a D^{re} Barth progredientibus antea 5 annis tractatos, ratione habita et vitae aetatis et anni temporis, congruere videmus. Conjunctivitis scrophulosa, si ipsam respicimus, non est certe nisi conjunctivitis catarrhalis, quae ex indole scrophulosa speciem peculiarem induit, quam multi medici nunc plerumque nomine conjunctivitis pustulosae vel vesiculosae significant.

Conjunctivitis rheumatica.

Sub ipso hoc nomine subjicienda non est nisi notio inflammationis telae conjunctivae submucosae, aegroto simul aliis ex affectionibus rheumaticis laborante. Ex casibus 78 hoc nomine significatis primi nobis secunda demum vitae periodo objiciuntur:

usque ad annum 7 nullus casus.

„ „	14	2	„
„ „	21	3	„
„ „	30	25	„
„ „	40	21	„
„ „	50	21	„
„ „	60	4	„
„ „	70	2	„

Ex hac tabula apparet, inflammationem rheumaticam secunda demum vitae periodo leviter usque ad plenam corporis evolutionem procedere, deinde celeriter adscendentem tempore eo, quod vicesimo et tricesimo anno interjectum est, summum fastigii attingere, in quo per validissimam vitae humanae aetatem servetur, tum denique, pariter atque subito accreverit, inde ab anno quinquagesimo decrescere. Eodem prorsus modo, quaecunque de hoc morbo tradita nobis sunt, probari videmus. Quam tabulam si cum ea contulerimus, quae de affectione scrophulosa oblata nobis est, satis inde docebimur, duos illos morbos, habita aetatis ratione, alterum alteri oppositos esse. Nam affectio scrophulosa, quum aegrotantes annum vicesimum agunt, celeriter minuitur, rheumatica autem eodem ipso tempore augescit, idque gradu etiam acriori. Affectiones illas adeo celeriter accrescere et decrescere, non est, quod miremur, quum, omissis aliis in ipso forte organismo momentis, id tantum respiciamus, quod experti sumus, agrestes hoc ipso vitae tempore ad suscipiendam operam capacissimos, ideoque momentis iis maxime abnoxios esse, quibus rheumatismus provocari possit. Cum iis, quae antea sunt relata, parum congruit ratio illa, qualis inter sexum utrumque observatur: nam antea neque ad annum 1850 numerus hominum aegrotantium sexus virilis ad sexum muliebrem ita se habuit ut 1 : 1,04, nunc vero postremis 9 annis ejus rei ratio est ut 1 : 1,78.

Habita anni temporum ratione hanc proponimus tabulam:

Mense Januario	erant	casus	2
„ Februario	„	„	9
„ Martio	„	„	17
„ Aprili	„	„	8

Mense Majo	erant	casus	8
„ Junio	„	„	1
„ Auguste	„	„	9
„ Septembri	„	„	9
„ Octobri	„	„	3
„ Novembri	„	„	10
„ Decembri	„	„	1

Ex hoc conspectu patet, plurimos aegrotos Martio et Novembri mensibus, ergo eo tempore inventos esse, quo nostris regionibus semper fere ineunte et exeunte hieme extrema temperaturae et humiditatis vicissitudo morbis saepe causam inferre soleat.

Denique etiam *conjunctivitis arthriticae* vel rectius *conjunctivitis in arthriticis* obviae, quae affectionibus illis adjungenda videtur, mentio fiat. Ejusmodi casus, progredientibus postremis 9 annis, modo tres observati sunt, qui omnes ad aetatem provectionem pertinebant, uti omnino homines aetate prevectiones arthritide corripere videmus.

Trachoma.

Fieri non potuit, quin nomen trachomatis, quod jam a Celso usurpatum, novissimo tempore ab Arlt, viro de ophthalmologia meritissimo, receptum atque denuo litteris redditum est, cum aliis quibusdam nominibus confligeret, quibus ad significandum hunc morbum, priusquam separatim existeret, uti solebant. Quae res praesertim ad nonnulla referri potest genera conjunctivitis, imprimis ad blennorrhoeam chronicam. Quodsi prius etiam nomina conjunctivitis et blennorrhoeae granulosae in usu fuerint, vix tamen quisquam statuerit, trachoma aequè raro (ter e. g. a. 1850) observatum esse, atque nomen ejus reperiatur. Praeterea affectiones secundariae, cum blennorrhoea simul chronica

nonnullisque conjunctivitis generibus traditae, fere eadem sunt, quae ex trachomate proficisci solent. Ne quis me forte argueret, quod diagnoses ex arbitrio mutassem, ad trachomatis ordinem eos tantum casus retuli, in quibus simul granula significata erant, dum blennorrhoea chronica ordine proprio tenebatur, quamvis de causis supra dictis ex casibus posterioribus longe plures digni essent, qui trachomati adnumerarentur. Nam novissimo demum tempore trachoma ad morbos proprios redactum, certa quae de eo diagnosis statuta est.

Qui morbi, quum nullo certo discrimine promiscue afferrentur, eodem capite explicati atque in tabula, quae sequitur, uti ex libris clinicis cognovi, inter se compositi sunt.

Annus.	Blenn. chron.	Trachoma.
1850	10	3
1851	77	11
1852	17	7
1853	97	27
1854	98	47
1855	69	63
1856	4	241
1857	23	117
1858	3	254
	398	770

Sicut ex tabula perspicitur, annis 1850 et 1852 ad significandam trachomatis et blennorrhoeae chronicae frequentiam numeri pro rata parte adeo parvi traditi sunt, ut facile quisquam inde adduci possit, ut plurimos, qui huc pertinent, morbos ad alium ordinem aliquem redactos esse statuatur, id quod, respectu ad tabulas conjunctivitis habito, satis comprobatur. Ac tum etiam, si casus omnes blennorrhoeae chronicae addictos ad trachomatis ordinem redigi-

mus, numerum sane nimis parvum esse reor, quum ii trachomatis casus, qui conjunctivitidum nomine sunt significati, omnino deficient. Quae res ex iis, quae sequuntur, probari potest. Si quis e. g., ut modum statuatur postremi temporis, annum 1858, totius temporis, cunctos novem annos, temporis novem his annis prioris, annos 1845—1850 sumserit, deinde si, quod ad ipsos attinet morbos, ad annum 1858 casus trachomatis addictos, ad novem illos annos trachoma simul et blennorrhoeam chronicam, ad tempora his annis priora blennorrhoeam chronicam retulerit, comparato ad trachoma omnium ex oculis laborantium numero universo, satis inde perspiciet, numerum hominum trachomate affectorum ad id semper tantum accrescere:

Ab a. 1845-50 int. 1269 ex ocul. laborantes 272 blennorrh. chr. affecti erant 21,4%.
 „ 1850-59 „ 3444 „ „ 1168 „ et trach. „ 83,9 „
 „ 1858 „ 515 „ „ 254 trach. affecti erant „ 49,5 „

Qua igitur ex tabula patet, aut morbum vehementer accrescere, aut superiore tempore permultos trachomatis casus aliis nominibus significatos esse: quae res inferior magis ad veritatem accedit, quum vix quisquam statuerit, morbum talem, quale sit trachoma, brevi tempore adeo accrevisse. Hinc opinio eorum, qui casus omnes blennorrhoeae chronicae addictos ad trachoma simul referendos esse statuunt, defenditur: quam opinionem in tabulis infra propositis sequemur.

Mentio anni temporum in tabula de morbo illo proposita nullius momenti esse videtur, quia homines ejusmodi affectione chronica laborantes, quae necopinantibus illis plerumque ingruit, raro statim a medicis consilium petunt, sed semper fere tum demum, quum affectio jamjam progressa gravius eos infestare coeperit. Nostra fortasse intererit,

ut videamus, quam potissimum vitae periodo homines hoc morbo corripiantur.

Ann. usq. ad	7a.	8-14 a.	15-21 a.	22-30 a.	31-40a.	41-50a.	51-60 a.	61-70 a.	Sum.
1850	3	1	2	4	0	1	2	0	13
1851	3	9	22	21	19	6	5	3	88
1852	7	1	4	4	4	2	1	1	24
1853	9	16	29	31	18	14	7	0	124
1854	5	12	33	43	34	11	6	1	145
1855	7	18	18	45	27	8	6	3	132
1856	3	21	58	69	61	22	8	3	245
1857	1	9	39	43	26	14	7	1	140
1858	5	5	72	85	49	24	11	6	257
	43	92	277	345	238	102	53	18	1168

Quae ex hac tabula colligi possunt, ea maximam nobis exhibent trachomatis frequentiam, quae inter annos 22 et 30 deinde inter 15 et 21, denique inter 31 et 40 reperitur. Qui omnes tres numeri non procul inter se distant, unde satis patet, inde ab anno quintodecimo usque ad quadragesimum trachoma frequentissime obvium esse.

Postremo, ut trachomatis sequelae certo in conspectu proponantur, hanc etiam, quae sequitur, tabulam adjungimus, in qua causa cum sequelis composita est.

Annus.	Trachoma.	Distichiasis.	Trichiasis.	Peribrosis et Tylosis.	Entropium.	Leucoma.	Pannus.
1850	13	14	16	9	26	14	130
1851	88	18	6	0	20	18	36
1852	24	22	19	3	32	34	158
1853	124	30	5	3	37	35	44
1854	145	20	2	2	31	24	47
1855	132	14	6	1	26	15	37
1856	245	62	19	1	23	25	142
1857	140	2	1	0	24	23	79
1858	257	46	15	1	10	32	27
	1168	228	89	20	219	220	700

Ex magno numero sequelarum, quae cunctae sunt **1477**, ergo plures, quam trachomatis casus offeruntur, intelligi potest, plures utique sequelas simul adesse debere, praesertim, si quis respexerit, tum demum illas oriri, quum trachoma aliquamdiu jam constitit. Certe quidem sequelarum numerus hac in tabula major apparuerit, quum nonnullae earum ex trachomate ortae non sint. Contra ea alii desiderantur morbi, qui ex iisdem sequelis supradictis originem ducunt, vel potius non sunt nisi gradus earum superior inferiorve, uti e. g. abscessus corneae, ulcus corneae, macula et nubecula corneae etc. Qui gradus hac in tabula proprie enumerati non sunt, quum nisi ratione graduali inter se non differant: unde aequa numerorum ratio restituitur.

PARS ALTERA.

Etiam si nobis non licet, varias curationes, quae morbis singulis adhibeantur, accuratius intentiusque hoc loco examinare, unde quaedam forte in res futuras concludi possint, de operationibus tamen, quae postremis 9 annis in oculis sunt susceptae, simulque de momentis, quae causam illis intulerint, atque de eventibus inde exortis mentionem adjiciam. Parvi momenti operationes, uti extractio ciliorum, aliaeque similes enumeratae hic non sunt. Dolemus, operationes accuratius fusiusque explicari non posse, quamvis earum plures dignae sint, quae in medium proferantur: quae res aliis de hac re uberius quaerentibus relinquitur. Hoc loco causas tantum, operationes ipsas, eventus inde obtentos breviter tradituri sumus.

Si anatomiam hac quoque in re ducem sequimur, primum ad eas adducimur operationes, quae in exteriori palpebrarum parte sunt institutae, ergo praecipue ad plasticas. In enumerandis singulis operationibus difficile est, certam afferre methodum, quum in ipsis operationibus plasticis quam maxime semper medici operantis peritiae ac solertiae relinquatur, ut methodum, prout res concesserint, idoneam eligat. Hinc operationes saepe aguntur, quibus partim haec, partim methodus illa, in libris enchiridicis proposita, normae est, quam quis sequatur. Quapropter in iis, quae sequuntur, operandi ratio non semper accuratius significata est, quoniam, si hoc fieret, descriptione uberiore opus esset.

Blepharoplastice in universum quinquies suscepta est. Adhibendae ejus causam intulit

semel lupus faciei, qui sanatus non est.

semel coloboma acquisitum, quod emendatum est.

ter cancer epithelialis, qui casus tres sanati sunt.

Quod duo casus priores eventum parum prosperum attulerint, morbis operationes indicantibus praecipua tribuenda est causa. (De duobus casibus inferioribus vide Dr. G. v. Oettingen, Mittheilungen aus der chirurgischen Klinik zu Dorpat. Dorpat 1857.)

Ectropio quinquies adhibita est operatio, et quidem *quater* secundum methodum a Dieffenbach propositam, idque prospero successu. In *uno* casu aliquo, quum comburendo ambae palpebrae ejusdem oculi extrorsum inversae essent, persectis cicatricibus anchyloblepharon artis ratione formatum est. Quo facto, quamvis morbus haud omnino removeretur, at conditio tamen aegrotantis, quum dimitteretur, aliquatenus levata erat.

Canthoplastice quindecies suscepta est, et his quidem causis eam excitantibus sequelisque inde exortis.

Operationi subjecti sunt hi casus:

Blepharophimosis <i>quinquies</i> ;		inde sanati 4, levati 1
Blepharophim. adjuncto entropio <i>ter</i>		„ „ 2 „ 1
„ adjuncta distichiasi <i>quater</i>	„ „ 4	
„ „ trichiasi <i>semel</i>	„ „ „ „ 1	
Cancer epithelialis	<i>bis</i>	„ „ 2

Ex his operationibus, quibus methodus Ammoniana ab Adelmann mutata, adhibita est, eventum prosperrimum oblatum esse videmus, quum ex 15 aegrotis nemo non sanatus, 3 in melius restituti, 12 plane sanati dimitterentur.

Repositio palpebrarum ac ciliorum permultis adhibitis operandi methodis perficitur: quae entropii operationes maximam utique partem omnium oculi operationum constituunt, quaeque multo etiam crebrius perfici possent, si quavis occasione uti liceret. Adjunctis illis, hae quoque operationes aptissime proferuntur, quibus cilia prorsus removenda sunt, quum et hae et illae idem spectent, ut scilicet vis corneae irritans removeatur.

Quarum operationum omnium causas singulis methodis adjicere, supervacaneum esse arbitror, quum causae illae non aliae appareant, nisi trachomatis sequelae, nisi forte ex systemate vel musculorum vel nervorum vel ex utroque proficiscuntur.

Ex 236 operationibus susceptae sunt secundum methodos, quas adhibuerunt:

Jaesche	135	inde morbi sanati 133	levati 2
Ammon	36	„ „ „	36
Celsus	27	„ „ „	27
Arlt	7	„ „ „	7

Gaillard	4	inde morbi sanati 4
Froebelius	3	„ „ „ 3
Albatio marg. palpebr. .	3	„ „ „ 1 „ 2
Galvanocautik	2	„ „ „ 0 „ 2
Myotomia orbicul. transv.	12	„ „ „ 8 „ 4
„ „ vertical	6	„ „ „ 5 „ 1

In clinico ambulatorio, quod dicitur, operatio vices semel entropio adhibita est, nulla tradita methodo nulloque eventu.

Susceptis 236 operationibus, quamquam 11 tantum morbi levati, ceteri vero omnes sanati esse traduntur, hinc vix quisquam significatum esse intellexerit, morbos radicatus esse sanatos, quum haud raro palpebrae deformes, praesentibus simul priorum operationum vestigiis objiciantur, qua in re, quod malum reciderit, operationi minime semper vitio dandum est, quoniam fieri potest, ut alia momenta varia, entropium excitantia, recens accesserint. Ipsis medicis operantibus ita tantum vitio dari posset, cur methodum minus idoneam elegissent, si e. g., oblato sibi entropio tarsali, musculus tantummodo persecuissent. Si autem eligendum iis est inter methodos e. g. Jaeschianam et Ammonianam, quae duae cartilaginis persectionem atque excisionem plicae cutaneae spectant, hoc maximi momenti esse videtur, ut decernant, utra methodus simplicius et facilius adhiberi possit aegrotisque molestias quam minimas afferat.

Proposito nomine methodi, quam Jaesche ad instituendas entropii operationes commendavit, duae recentiore tempore intelliguntur methodi, quae, si ipsam operandi actionem respicimus, inter se differunt, si finem propositum, plane inter se congruunt: quae res inde explicari potest, quod Dr. Jaesche methodum a se inventam atque promulgatam, quam usque ad auctumnus anni 1856 medici semper

sequebantur, postea tamen mutavit, eamque mutatam, quum Dorpatum urbem accessisset, in clinico nostro ipse adhibuit. Inde ab eo tempore methodus prior sensim oblivioni data est, altera vero recentior propter multa commoda optimam semper sui famam retinuit.

Methodus prior, qualem ispe exposuit Jaesche, a Dr. Barth in dissertatione ejus inaugurali (p. 27) uberius descripta est. Id enim methodus illa praecipue spectat, ut duo adjutores palpebram, adhibitis duabus volsellis uncatis situ reflexo teneant, medicus operans inde a parte palpebrae conjunctivali membranam mucosam persectet atque deinde cartilaginem incidat. Tum volsellae Himlyanae ope plica cutanea forcice desecatur: quo facto cartilago iterum a parte exteriori secundum longitudinem cultro bipenni diffunditur.

Longe simplicior et susceptu facilior, nullo ad eventum edito detrimento, altera est operandi methodus a Jaesche proposita. Qui quum pollice et digito indice manus sinistrae palpebram a bulbo paululum abduxerit, a parte interiore mediam palpebrae longitudinem unco abuto perfodit ita, ut mucro $1\frac{1}{2}$ —2''' a palpebrae margine per cutem externam promineat, deinde sinistra manu, ut palpebram a bulbo retrahat, uncum prehendit, tum cultrum acutum bipennem inde ab exteriori palpebrae parte proxime post uncum perpendiculari directione per totam palpebrae crassitudinem, ergo per ipsam quoque cartilaginem ita perducit, ut plana cultri pars bulbo adversa appareat. Quo facto, quum cultellum capitulo desuper instructum in vulnus induxerit, totam palpebram, exceptis duobus ponticulis, in utroque oculi angulo relictis, secundum longitudinem persectat, inde a medio vulnere, pari a palpebrae margine intervallo, ad alterutram partem serrantis modo progrediens.

Postremo ex vulneris margine externae cutis, ad orbitam vergente, volsellae uncatae atque forcicis ad planitiem inflexae ope, prout res postulat, particula magis minusve lata desecatur, tum vulnus suturis munitur.

Quae duae operandi methodi si inter se comparantur, altera posterior, nihil habita eventus ratione, priori certe anteponenda nobis videtur. Quum duos vel tres adjutores, priore adhibita methodo, adesse oporteret, inita posteriore, uno tantum opus est adjutore, ne rei quidem satis gnaro, quum caput sustinere atque interdum spongiam apprimere debeat, nec non omnino fortasse rejici possit. In agenda ipsa operatione palpebra vix opus est ut revolvatur, id quod saepe difficillimum est; praeterea cavetur, ne palpebra ab alterutra parte dupliciter incidatur, unde multum temporis compensatur atque aegroto minus doloris affertur. Apparatus denique ad instituendas operationes aptus in ea instrumentorum copia reperitur, quae cuique chirurgus in promptu sunt: uncus adprehendendos arteriarum truncos idoneus operationi optime inservit, neque minus scalpellus, quo plerumque ad mittendum sanguinem utuntur, loco cultri bipennis, si qui forte absit, prospere adhibendus est; nec non forfex ad planitiem inflexa atque volsella uncata semper praesto erunt.

His expositis, eo adducimur, ut methodum operandi ad id tempus Jaeschii nomine significatam, quae optima erat appellata, proposita methodo recentiore, removeri concludamus: quae methodus posterior, ubi entropio tarsali operatio adhibetur, omnibus methodis aliis praeferranda est, nam vix ulla alia eventu certo ac prospero illam superat, facilitate autem et habilitate peragendae operationis minime eam adaequat. Quae res eo evidentius intelligi potest, si quis methodi Arltianae meminerit, quae, quum difficilime

tantum adhiberi queat, vix quidquam emolumenti ad eventum praebet.

Obliteratio sacri lacrimalis, adhibita galvanocaustice, bis suscepta est, nec tamen eventus plane certo statui potuit, quum aegroti, relictæ etiam suppuratione, ex clinico dimitterentur.

Corpora aliena ex oculo quater extracta sunt, et quidem bis ex cornea, semel ex anteriore oculi camera. Qui casus postremo dictus aliqua ex parte in relationibus a Dre ab Oettingen, professore illustrissimo, editis (p. 366) accuratius, sed aliqua tantum ex parte, descriptus est. Malo finis impositus est suscepta lentis extractione, idque satis prospero eventu, ut aegrotus aliquanto in melius restitutus dimitti posset.

Paraceatesis corneae propter ulcera corneae perforantia, ut puri effluvium daretur, ter instituta est, atque aegroti omnes in melius restituti ex clinico dimissi sunt.

Staphyloma corneae in universum vices semel operationem subiit. Qua in re, si de eventu operationis vel prospero vel improspero mentio injicitur, id tantum intelligi posse reor, num contigerit, ut deformis corneae species in meliorem redigatur.

Hæ susceptæ sunt operationes :

<i>Methodus operationis</i>	freq. casum.	sanati	in melius restituti	non san.	in dubio relict.
Punctio corneae	2		1		1
Operatio Kuechleri	15	5	4	3	3
Excisio	1	1			
Extractio lentis	3	2	1		
Summa	21	8	6	3	4

Operationes quatuor, quarum de eventu ambigebatur, in clinico ambulatorio susceptæ atque aegroti deinde dimissi sunt.

Coremorphosis, quæ recentiore tempore magni aestimatur, primis annis circumscripti hæc in commentatione temporis satis raro, postea sæpiissime instituta est. Adhibita operatione, qualis hæc est, quæ pluribus oculi affectionibus longe inter se diversis simulque ad eventum haud levibus, indicari potest, non solum, uti in multis operationibus aliis, operandi rationes, adjunctis earum eventibus, sed momenta etiam indicantia necesse est proferantur. In conspectu, qui sequitur, 36 coremorphoses, quæ progressu 9 annorum in clinico nostro susceptæ sunt, singulaeque methodi, additis indicationibus atque eventibus, breviter notatæ objiciuntur.

Iridectomia.

Indicationes	Casuum freq.	sanati	in melius restituti	non sanati.
Myosis	1			1
Leucoma	16	3	10	3
Staphyloma	1			1
Chorioiditis	2		1	1
Iridochoioiditis	1		1	
Scleroticochoioiditis	1			1
Synicesis pupillae	1	1		
Cataract. secundar.	5	1	4	
Summa	28	5	16	7

Iridodialysis.

Indicationes	Casuum freq.	sanati	in melius restituti	non sanati
Leucoma	3	1	2	
Sequelæ iritidis	1		1	
Summa	4	1	3	

Iridectomiedialysis.

Indicationes	Casuum freq.	sanati	in melius restituti	non sanati
Leucoma	3	1	1	1
Synicesis pupillae	1	1		
Summa	4	2	1	1

Si eventus eos, quos ex tribus his operandi methodis nacti sumus, inter se comparamus, haec quidem ratio, ad partes centesimas relata, nobis objicitur:

Adhib. Iridectomia sanati	17,8%	in mel. restit.	57,1%	non san.	25%
„ Iridodialysis „	0	„	25%	„	75%
„ Iridectomedialysis	50%	„	25%	„	25%

His propositis, iridectomedialysin eventus prosperrimos offerre videmus, attamen ne obliviscamur, ex numero tam exiguo vix quidquam concludi posse, quod majoris momenti sit; nam fieri potest, ut casu unico vel accedente vel deficiente ratio quam maxime mutetur. Nihilo secius vero, quamvis tabula prosperrimam iridectomedialysis rationem obijciat, adhibita iridectomia eventus etiam meliores nobis offerri videmus. Instituta operatione, qualis haec est, non id solum pro eventu prospero haberi potest, quod aegroto videndi facultas salva redditur, sed jam id etiam, quod conditio praesens in melius restituitur vel ex operatione incommoda multo pejora praecaventur. Ita fere iridectoniam, cujus frequentia ad faciendas conclusiones nos adduxerit, in 74,9 % casuum prospero eventu susceptam esse videmus, si quidem oculos ex operatione vel omnino vel parum sanatos complectimur. Haud dubie ex conclusionibus inde repertis, quaecunque plurimi auctores de coremorphosis prodiderunt, ea satis probantur, quatenus omnibus in casibus iridectomia aliis operandi methodis anteponitur atque adeo reliquae methodi paene inutiles habentur: qua de re aetas futura plus etiam nobis luminis afferet.

Si rationem a Grafe¹⁾ commendatam respicimus, quae iritidi et iridochorioiditidi coremorphosis ope adhibeatur,

1) Archiv für Ophthalmologie von Prof. F. Arlt, Prof. F. C. Donders und Prof. A. v. Graefe. Berlin 1855. II, 2. p. 202—257.

parciores nobis casus oblatos esse dolemus, quam ut quidquam inde concludi possit, quod majoris momenti appareat.

Si denique, quaecunque summam ex 36 coremorphosis hic susceptis conclusa sunt, ea intentius respicimus, eventum inde nanciscimur, quo plane nobis satisfieri arbitror. Ex 36 casibus 8 sanati, 20 in melius restituti, 8 non sanati sunt, ergo in universum duodetrices coremorphosis prospero eventu, nec nisi octies secus omnino instituta reperitur.

Operationes Cataractae in ophthalmologia operativa secundam maximi momenti seriem constituunt. Commentatio uberior¹⁾ de operationibus, in clinico nostro inde ab anno 1842 ad annum 1856 institutis, paulo ante a Dr^e Zepernick edita est, neque minus operationes anno 1856 susceptae in relationibus clinicis a Dr^e ab Oettingen editis, quas saepe commemoravimus, satis copiose descriptae inveniuntur. Itaque hoc loco operationis methodi, adjunctis earum eventibus, brevi in conspectu proponuntur:

Method. operat.	Frequent operat.	sanati	in melius rest.	non sanati
Reclinatio	17	10	5	2
Depressio	8	4	2	2
Discissio	13	5	8	
Depressio-reclin.	9	8	0	1
Extractio	18	7	7	4
Summa	65	34	22	9

Quo ex conspectu si rationem ad partes centesimas relata deducimus, haec nobis objicitur tabula:

1) Meletemata de cataracta. Diss. inaug., auctore Carolo Julio Zepernick. Dorp. Liv. MDCCCLIX.

Operatio	sanati	in melius restituti	non sanati
I. Reclinatio	58,8%	29,4%	11,7%
II. Depressio	50%	25%	25%
III. Discissio	38,4%	61,5%	0
IV. Depressio reclin.	88,8%		11,1%
V. Extractio	38,8%	38,8%	13,8%
Summa	52,3%	33,8%	13,8%

Ad optimos eventus quod attinet, operationis methodi, si numeris propositis simpliciter utimur, hac deinceps serie sequuntur:

IV, I, II, V, III.

Si vero non solum ex cataractis prospere sanatis, sed ex iis etiam, quae in melius restitutae traduntur, conclusionem ducimus, hunc manciscimus eventum:

I. Reclinatio . . .	88,2%
II. Depressio . . .	75%
III. Discissio . . .	100%
IV. Depressio reclinat.	88,8%
V. Extractio . . .	77,6%

Secundum ea, quae nos tabula docet, series alia erit, et quidem, si numeris iterum utimur, haec nobis offeretur:

III, IV, I, V, II.

Uti in aliis quibusdam operationibus, ita in hac quoque fieri non potest, ut methodus altera alteri praeponatur, quamvis una quaedam ex iis eventus prosperiores praebeat, quam alia, nam ex ipsa cataractae indole methodus eligenda est, quae operationi adhibeatur.

Strabismus in universum raro, scilicet sexies tantum operationi subjectus est, isque prospero semper eventu.

Exstirpatio bulbi, quae operatio non spectat, ut videndi facultas denuo adjuvetur, immo organon visus omni ex parte exstinguit, institui non potest, nisi antegressis mor-

bis, quae id requirunt, ut particulae corporis majores minoresve vel hoc vel illo loco amoveantur. Huc praesertim referenda sunt carcinomata cujusvis generis. Qua in re, si mentio fit sanationis, per se jam intelligitur, hinc significari non posse, nisi, amoto parasito, conditionem corporis in melius restitutam esse. Operationi quater susceptae, uti ex tabula patet, causae et eventus adjunguntur.

morbus	operatio	sanati	in mel. restit.	mortui.
Cancer epithel. oculi	1 exstirpatio oculi	1		
„ „ palpebrae	1 „ palp. et bulbi		1	
Fungus orbitae cum } exophthalmo }	1 „ bulbi	1		
Epithel. bulbi et orbitae	1 „ „ et palp. infer			1

Postquam operationes singulas brevi in conspectu propositas perlustravimus, haec denique tabula adjiciatur, qua numerus universus operationum omnium progressu novem annorum, quos diximus, susceptarum comprehenditur.

De operationibus in clinico ambulatorio susceptis nihil certi compertum est: unde earum eventus in tabula notati sunt utpote in medio relictii.

Operatio	frequentia	sanati	in melius restituti	non sanat.	mortui	in medio relictii.
Blepharoplastice	5	3	1	1		
Op. ectropii	5	4	1			
Canthoplastice	15	12	3			
Op. entropii	236	204	11			21
Obliteratio sacculi lacrimalis	2		2			
Extractio corporum alienorum	4	3	1			
Paracentesis corneae	3		3			
Oper. staphylomatis	21	8	6	3		4
Coreomorphosis	36	8	20	8		
Oper. cataractae	65	34	22	9		
Oper. strabismi	6	6				
Exstirpatio bulbi	4	2	1		1	
Summa	402	284	71	21	1	25

Hinc ratio, ad partes
centesimas relata,
haec nobis objicitur: $\frac{1}{100}$ 70,8% 17,6% 5,2%

Quicumque casus, computato ad 100 numero, desiderantur, ii ad hos referendi sunt, quos in dubio relictos vidimus: quibus ex casibus plures, praesertim qui ad entropium pertinent (21), et ipsi inter sanatos numerari possunt, quum facile statuerimus, casus illos, quos diximus, non alium fere eventum praebuisse, quam qui, instituta antea operatione, in clinico tractati fuerint.

THESES.

- 1) Capite postremo methodus Brauniana omnibus aliis praeferenda est.
- 2) Domus ad observanda funera (Leichenhäuser) instructae nullam afferunt utilitatem.
- 3) Thermometria corporis humani instrumentalis medico, qui praxin privatam exhibet, nullius est momenti.
- 4) Iridectomia ceteris coremorphoseos methodis praeferenda est.
- 5) Abortus artificialis certis casibus adhibendus est.
- 6) Medico majoris sunt momenti pelvis mensurae, quam foetus capitis.